RUTGERI HERMANNIDAE

In novam editionem

POMPONII MELAE

ab

JACOBO GRONOVIO

Viro celeberrimo

procuratam

ELEGIA;

& ad eam


ERASMI REGII,

Poëtae laureatis

RESPONSIO:

Editio altera.





CIↃ IↃ C XCVI.

In novam editionem

POMPONII MELAE

ab

JACOBO GRONOVIO

Viro celeberrimo Procuratam.

HEroum ſuboles, caroque ſimillime fratri,
  Gloria doctorum prima Gronoviade;
Exiit ergo igitur dias in luminis oras
  Prognatus Spanica de regione Mela:
Ille Mela, a criticis totiens vexatus ineptis,
  Nunc ſanus poſt tot vulnera, totque plagas:
Ille Mela.. at taceo. Sed quisnam homo eſſe modeſtus
  Sic queat, ut Voſſi dicta nefanda ferat?
O bene, quod manes hominis non linquis inultos?
  Nominis ille tui eſt macula, & hoſtis acer.
O bene, quod ferias impendis rebus agendis;
  Quamvis circumſtat te tuus usque labor:
Coeleſtes ferias, quas nunc diſpungis amoeno
  Carmine, nunc concha grande tremente tonas;
Divinas ferias, miracula fertilis otî,
  Unde nova multus cuditur arte liber.
Namque tuis ſtudiis, velut exercitibus, omnem
  Doctrinam clauſa cordis in arce tenes
Egregie cordatus homo. Catus Aelius Sextus
  Vix ſpinturnicium, te ſibi confer, erit.
Quisquilias reputo & mera nugamenta, virorum
  Quicquid in ingenuo pulvere claruit hoc
A mundo nato poſt tot jam ſaecula lapſa.
  Gronovio melius qui ſapit, ecquis homo eſt?
Hoc docuit Judas, labor haud imitabilis ulli,
  In quo Varronum vapulat omne genus:
Eximius Judas, pignus non futile veri,
  Flumine Euangelii pectora ſicca rigans.
Hoc Neomagenſis vexata icuncula Smetî,
  Quam male neſcio quis dixerat Harpocratem.
Hoc & Thebani Cebetis docta tabella,

 Digna

Digna tenere aures, digna tenere oculos.
Et quae non ſtupuit commotior auris ad illam?
Qui non Suffenorum indoluere oculi?
Tu veteres avias ita de pulmone revolſti,
Audeat ut contra te fere nemo loqui.
Scribere enim contra, ſtulti foret atquè furentis,
Vel ſi quis nomen decoquat ipſe ſuum.
Voſſius eſt teſtis; teſtis vafer ille Fabrettus;
Et teſtis cano Meibomius capite,
Potor aquae. quid enim lympham ſorbere juvabat?
Propoſuit ſiccis omnia dura Deus.
Dermaſius, ne tale tuum ſentiret acumen,
Praeceps excelſa procidit e ſpecula.
Heu nimis infelix fati! ſed ſic quoque felix;
Quod caruit dentis cognitione tui.
Haec ſunt ſolertis arbitria certa cerebri,
Hae animi facile cuncta ferentis opes.
At quam multiplici verſatus in argumento es!
Credere nemo queat, ſit licet uſque rapax,
Et ſcribax, & contundax, multumque laborax,
In proſa expugnax, in melica arte crepax.
Omnibus innotuit quantus propheta fuiſti ab
Unguiculis teneris; nunc magis uſque tamen.
Salve Heros, ſalve Argolici ſermonis alauda,
Salve Romani flos nitide eloquii.
Salve nominibus plus centum mille colende,
Salve non unis devenerande modis.
Heu quantis tenebris, & qua caligine veri,
Candelam ante tuam, credulus orbis erat?
Nunc rudis inſtruitur; doctus fit doctior ipſo
Se, laudem auctori ſiſtere promeritam
Confeſſus. veſtrae ſunt iſta ſtipendia Muſae,
Quae, ſicut Orphëicae chorda canora lyrae,
Et quercus & ſaxa trahit. gaude inclyta Leida,
Gronovii Sirena & cape laeta tui.
At tu ne dubita, quin aequae poſteritatis
Scripta tua arbitrium promeritura ſient.
Te in numerumque chorumque ſupervolitando Poëtae,
Queis furor eſt cordi Muſicus atque lyra;

Te

Te Leidenfes, Dordracenfes te quoque cygni,
  Amftelodamenfes te quoque (crede) canent;
Atque Harlemenfes, atque illuftres Hagienfes,
  Atque Enchufani, Medeblicique fimul.
Ante alios omnes quidam, quem dicere nolo
  Nomine, ne placeas fors nimium ipfe tibi:
Quique manet fixus per cor tibi perque medullas
  Jenfius, ille tuum dulce, Jacobe, latus.
Ille, diuturno carus tibi temporis actu,
  Atque ipfa infignis laude tirocinii,
Quod bene fe nutrieris, non difcingendo, viciffim
  Dat praeceptori congrua tura tibi.
Ac nunc ipfe quidem, titulis & honoribus auctus,
  Con-Dordracena-rector in urbe cluet.
Nam varias Mufas (& femper fic erit ufque)
  Haec fovet urbs, doctis tota referta viris.
Quos inter radiat cathedra fic Jenfius alta,
  Orator vehemens, verfifaberque fonax;
Quos inter, dico, majeftas Jenfia fulget,
  Ut quondam in roftris Tullius ille fuis:
Tullius affiduo dudum tibi pollice tritus,
  Cujus tu loqueris lingua, animoque fapis.
Ille olim Antonii dementes contudit iras:
  Te nunc non unus antifophifta tremit,
Poftquam in voce ΜΕΤΑΞ quae fint FRIGIDULA facra
  Tam belle expofitum eft, tamque fcientifice.
Di facite, incedat longos Gronovius annos,
  Antonii gladios nec timuiffe queat!
Haec eft votorum fummarum fumma meorum
  Pro non ingrati jure magifterii.
Et nunc ipfe equidem, hymno perfunctus amoeno,
  Hos tibi ego verfus, Pallas amica, dico.
Tu mentem ratione poli, tu faecula pande,
  Tu face uti mirer facta manumque Dei.

RUTGERUS HERMANNIDES,
Juris utriufque Doctor.

IN

RUTGERUM HERMANNIDEM,

Ineptum V. C L.

JACOBI GRONOVII

Laudatorem.

Cilicet haec res eſt? nùm defenſoribus iſtis
  Tempus eget? fama eſt indè petenda tibi,
Qui mare, qui terras late virtutibus imples,
  Notus & Eois, notus & Heſperiis?
Tene, decus praegrande virûm, te, gloria Pindi,
  Laudabit miſeris turba profana modis;
Et vana [1] *maculas* tibi figet laude pudendas,
  Quas & Smetiades Raviſiusque notent?
O pudor! o mores! o diri inſania ſecli!
  O labes foedae maxima, barbariae!
Tam male conſumtis [2] *feriis*, *in rebus agendis*
  Quae [3] ortae *animi cuncta ferentis opes?*
Quid potuit doctus gravius perferre Palæmon?
  Quæ graviora tulit *vulnera*, quasque [4] *plagas*?
Et tamen hic vates quaerit *bono* [5] *eſſe modeſtus*
  In laude, *ut placeas non nimium ipſe tibi.*
Vsque tamen proiert *Medeblicos atque Hagienſes*,
  Inque tuas laudes ire redire facit,
Nec non *Leidenſes*, *Dordracenſes quoque Cygnos*,
  Amſtelodamenſes, *Harlemiosque ſimul*;

Quos

[1] Videatur R. Hermann. El. in editionem Pomponii Melae, ubi vſ. 10. prima ſyllaba in voce MACULA temere eſt producta.

[2] Prima in FERIIS hic vitioſe corripitur, ad lavandum verſificatorem, qui idem fecit vſ. 11.

[3] Eliſio hic negligitur, uti peſſime fecit hic verſ. 48. *Hae animi* &c.

[4] Rurſus hic prima in PLAGAS corripitur. In quem errorem impegit Hermannides vſ.6.

[5] Idem turpe vitium in proſodiam commiſit, vſ. 7.

Quos Helicon [6] *nutrierit* quondam haec in [7] *frigida ſacra.*
Quam *belle inventum* , *quamque ſcientifice?*
Sic cecinit quondam mirandi [8] Puppius oris,
Penſio qui noſtrae nàrim urbis erat.
Sic pater [9] Hermanni mundo mirante canebat.
Filius [10] Hermanni nunc canit arte pari,
Verſificator [11] *acer* , *miraclum fertilis oti*,
Vnde nova pulcher *cuditur arte liber.*
Atque iſtis *ſtudiis velut* [12] *exercitibus omnem*
Doctrinam clauſa cordis in arce tenes.
Has mereat potius laudes veſanus Iudas,
Coelica [13] *Euangelii* pagina quosque notat.
Te fruſtra extollit, Gronovi magne, [14] *Propheta*,
Qui nondum didicit verba Latina loqui.
Quid loquor? o proceres [15] *ſtipendia* ſolvite vati,
Ne plus carminibus nos premat ille ſuis,
Ultra ne diram ſolvens per compita linguam
Hiſce ſonis homines terreat atque feras,
Quae non ad numeros conſiſtent carminis hujus,
Vt quondam [16] *Orpheae* vis fuit iſta *lyrae.*
Non has *quisquilias* agnoſcet Leida celebris,
Leida celebratis *tota referta* viris.
Quos inter cunctos velut aſtrum nobile fulges,
Emendicatos vituperasque ſonos.
Te quoque ſecla ferent , Gronovi. aequabit olympo
Poſteritas dotes tempus in omne tuas:

At-

6 Erit mihi magnus Apollo, qui poterit dimetiri verſum Hermannidæ 81. *Quodq; bene ſe* &c.

7 Reſpicitur ad FRIGIDULA SACRA, ubi in hac voce, antepenultima producta eſt.

8 In carminibus Puppii cujusdam, concionatoris Edamenſis, inveniuntur tales verſus, qualis hic eſt vſ. 84. *Con-Dordracena rector in urbe cluet.* Quod ut magis pateat, hic quoque inſerui ſequentem pentametrum, *Penſio qui* &c.

9 Idem Puppius, qui ubique crepat *filium ſuum Hermannum.*

10 Rutgerus Hermannides.

11 Primam in ACER ita corripuit verſ. 10.

12 Videatur error, quem errat in hac voce vſ. 17.

13 In voce EUANGELII diphtongus turpiter correpta vſ. 18.

14 Primam in PROPHETA iterum produxit, vſ. 53.

15 Prima in STIPENDIA corripitur vſ. 63.

16 Sic recte. non ORPHEICAE, ut perperam poſuit vſ. 64.

Atque [17] *diuturnos* vivent tua ſcripta per annos,
  Donec erunt vates, carmina donec erunt,
Carmina ſeu Latio fluitantia, ſive Pelasgo
  Melle, nec infauſtis commaculata modis:
Quales ille *equidem* [18] *hymno perfunctus amoeno*
  Ille tibi vates, *Pallas amica*, *dicat.*
Sic, *dum tu* [19] *incedis longos* clariſſimus *annos*,
  Praeconis pereat charta cacata tui.

17 Secunda in hac voce debet corripi. ſecus factum ab Hermann. vſ. 79.

18 Fœditatem hujus verſus vel pueri, opinor, vident.

19 INCEDERE ANNOS. Egregia phraſis, quam habet in fine carminis ſui Hermannides, cujus & alios errores intactos relinquimus; cum vel leviter in ſtudiis verſatus per ſe facile eos ſit inventurus. Vale Lector, & meliori laude maximum hunc virum, de ſtudiis tam bene merentem, proſequere.

ERASMUS REGIUS
Poëta Laureatus.